EMBLEMA CXLV.

Nec auarè, nec prodigè.



CXLV.

Inter vtramque mane.

In medio virtus; vitiis extrema laborant;
In medio Princeps, qui manet, ille sapit.
Dextera larga quidem, sed nec sit prodiga regis,
Nec constricta nimis; nam nimis omne malum est.
Sordida nil dantis manus est; sed stulta profusi:
Illa iuuat nullos, hæc nocet ipsa sibi.
Infame est cunctis amor illaudatus habendi;
Mentis at heroæ fœdior illa nota.
Magnanimos habitare animos in pectore regis,
Quique iuuent multos per benefacta, decet.
Vt commune Deus, sic Rex reputatur asylum,
Et dare qui possit munera, quique velit.